

A2<sup>r</sup>

---

GEORGIVS  
FABRICIVS CHEM=/  
NICENSIS MATTHIÆ  
MARCO DABERCVSIO LV=/  
DI SVERINENSIS  
MAGISTRO

S. D.

POETAM EPICHR  
mum, ut Ariftoteles  
ait, antiquissimum:  
ut Plutarchus testa-  
tur, Pythagoræum,  
multa tradidisse ad  
puerilem ætatem i-  
donea, in eius legitur epitaphio, quod  
quicunque mortuo posuit, ad eius lecti-  
onem alios studuit inuitare. Ipsum  
autem tanti præceptoris institutione  
sapientem, & moribus honestum, &  
oratione politum fuisse colligimus,  
tales enim puerili educationi conue-  
niunt: & ad eam non alij, quam eru-  
diti, morati, & elegantes uiri sunt ad-

A 2 hibendi.

A2<sup>v</sup>

---

## EPISTOLA

hibendi. Epicharmi imitatorem fuiſſe Plautum, Horatij teſtimonio noſtum eft: & Siculo Romanum non fuiffe inferiorem, facilè nobis perſuaderemus. Varronis enim & Ciceronis de ingenio, urbanitate, elegantia Plauti inprimis honorifica extant teſtimonia: quem etiam alij quidam linguae Romanæ principem, & eloquentiſſimum antiquorum dicere non dubitauerunt. Sermo eius, Aelij Stilonis ſententia, puritati Muſarum ſimilimus: ioci non nigro Moſi, fed candido Mercurij ſale conſperſi: ſententiæ cum grauitatis, tum lepôris habent plurimum, eaque ſeu doctrinam ſeu repræhenſionem continent, uel ſummo philofopho funt dignæ. Ex huius Comoedijs unam hoc tempore partem, quæ fermonis proprij & Romani eft, delegimus, idque puerorum gratia, quibus neque integri auctores proponi poſſunt, ob ætatis imperitiam: neque negligi tam debent, propter ſucepti a nobis muneris

A3<sup>r</sup>

---

## DEDICATORIA.

muneris rationem. Ad prima enim illa de Dei cognitione, deque animo- rum salute præcepta, quæ animis te- neris ac rudibus, in Scholis Christia- nis instillantes, Catechismum nomi- namus, proximè adiungendæ exer- citationes sunt, quibus lingua iplo- rum balbutiens, optimis purissimisque uerbis imbuatur & conformetur.  
Ad humanitatem autem uirtutemque stabiliendam, & ad commune Reip. quasi ædificium, dum auxilij appor- temus aliquid, etiam si labor obscu- rus sit, minimè tamen eum refugi- mus, & ut in fabrorum aut artificum numero non sumus, inter cementa- rios tamen atque baiulos ipsos non fa- fidimus adhiberi. In hac autē ardentí atque optima uoluntate, cū deprauata hominum iudicia, tum literarum atque ueritatis contemtus institutionem no- bis reddunt difficilimam: quamobrē, quod sœpe facimus, studioſos contra temeritatem & mendacium instruen- cos monendosque arbitramur: tum

A 3        confir

A3<sup>v</sup>

## EPISTOLA

confirmandos præterea ne ulla mo-  
leftia aut acerbitate despondentes a-  
nimorum deferant officium suum. Re-  
tinenda ante omnes contra opinio-  
nem imperitorum in ludis literarijs  
hæc sententia est, uera, antiqua, ne-  
cessaria, nihil scilicet in orationem  
improprij aut inquinati admitten-  
dum. Ut enim in uestitu populari,  
sic in communi sermone plurimum  
interest, ut apta & habilia omnia  
sint, & consuetudini honestæ con-  
sentanea. Militum uestes, quibus  
nunc femora tegunt, nautarum uelis  
esse uidemus laxiores: & ita discessas  
atque laceratas, ut Abfyrti aut Marfyæ  
corpus (quod in fabulis est) mutilum  
laniatumque magis non fuerit, quam  
cum in castris Turcicis militum cap-  
tuorum corpora ad uestium for-  
mam fuerunt dissecta. Talibus si-  
miles sunt, qui oratione incomposita  
& dissoluta, & absurdâ loquacitate  
delectantur, quam insuper defor-  
mant leuitate atque ineptijs: quos  
Itulose

A4<sup>r</sup>

---

DEDICATORIA.

Itulorum militum fortunam expe-  
riri par erat, ut ære diruti capitue di-  
minuti, è Scholis perpetuò relega-  
rentur ad barbaros. Notis rerum  
proprijs, & cura uerborum negle-  
cta, error & obscuritas naſcitur: in  
oratione autem, in qua labefactatur  
ueritas, & implicatur intelligentia,  
qui loci relinquunt prudentiæ? hac  
uerò ſublata, quid omnino inter ho-  
minem garrientem, aut rudentem  
aſinum eft discriminis? Veterum  
ſapientum hoc ſtudium ſemper fuit,  
ut cum perſpicuè & decorè, tum eti-  
am cum ornatu animi ſui cogitata  
efferent. Academicorum & Peri-  
pateticorum libri ſunt in manibus,  
qui id teſtificantur: ſunt item Medi-  
corum: ſunt ueterum Iureconfunto-  
rum apud Romanos: quorum eru-  
dita excultaque præclaris ſententijs &  
uerbis lectiſsimis ſapientia fuit. E-  
picureos merito odio profequimur,  
qui ut in uita leuiores ac diſſolutio-  
res, ita & in fermone iniquinatores

A 4        fue-

A4<sup>v</sup>

---

## EPISTOLA

fuerunt. Recentiorum nostrorumque exempla, quæ propemodum infinita sunt, proferre siuellem, nimis multos omnium disciplinarum ac professorum homines offenderem, qui pertinaces, quām boni haberi, errare malunt, quām corrigi: nam ne iudices aliquos, atque, ut ipsis uidetur, minorum quasi ordinum censores admittant, regio iure utuntur, nostramque cum ludibrio nimis exquisitæ diligentiae, ac inutilis curiositatis, illiberaliter atque iniustè damnant fentiam. Atque in conatu utili & præclaro, ad istos nequaquam respiciendum est, sed cogitandum de re ipsa, quām necessaria in studijs sit, & quanta cum laude coniuncta. Nec reprimere fortem animum atque erectum debet, illa Cyclopica eruditio- nis, humanitatis, atque ordinis contemptio: quæ quidem ita indies inuolescit, ut hominibus literatis non modo dignitas, sed ne fructus omnino laborum molestissimorum sit exceptandus.

A5<sup>r</sup>

## DEDICATORIA.

ctandus. Theodorum Gazam ho-  
spitem doctissimum, & de Philo-  
phia ueteri literisque optimè meritum,  
Italia egere passa est: & Cæsarum,  
Sturnum, Plateanum iam fenes, &  
à copiosis discipulis, & à ciuitatibus  
florentibus ali non potuisse, nos me-  
minimus. Romanorum antiqua  
uirtus & frugalitas cum in superbi-  
am luxuriamque mutata esset, multi in  
extruendis balneis, gestationibus,  
cœnationibus: tum ut conditores lau-  
tos, elegantes structores, coquos de-  
nique peritos haberent, ampla pro-  
fuderunt patrimonia: sed ijdem in do-  
cendis instituendisque liberis, & in con-  
ducendis idoneis magistris, turpis-  
simè negligentes, & pernicioſissimè  
auari erant: de qua re, ne quem ipſe  
accusem, Satyricum audiamus:

Balnea sexcentis & pluris porticus, in qua  
Gestetur dominus, quoties pluit: anne ferenum  
Expectet, spargatque luto iumenta recenti?  
Hic potius: namque hic munde nitet ungula mula:  
Parte alia longis Numidarum fulta columnis

A5<sup>v</sup>

---

EPISTOLA

Surgat, & algentem rapiat cœnstio solem.  
Quanticunque domus ueniet qui fercula doctè  
Componit: ueniet qui pulmentaria condit:  
Hos inter sumtus leftertia Quintiliano,  
Ve multum, duo sufficient: res nulla minoris  
Conſtabit patri, quàm filius.

Verum precio tam uili cum doceret  
uigilans & eximius præceptor, fortal  
fe & uoluntas erga eum prolixior, &  
otium honoratius, & maior quies ei  
in opulentorum familijs fuit. Minime  
quidem, nam grauiores querelas i-  
dem Poeta cum iusta indignatione  
cumulat: præterquam enim quòd im  
par laboribus merces datur, de ea-  
dem suam adhuc partem detrahit fer-  
uus Atrienſis. nec reliquam prius nu-  
merat, quàm iuſſus à tribuno ærario  
id facere cogatur: nihil reputans ante  
lucanas doctoris operas, quibus ne  
quæſtuosi quidem fordidique artifices  
pluribus exercentur: nihil cotidianas  
moleſtias, quarum in puerorum fre-  
quentia plurimæ ſine intermifsione,

maximo

A6<sup>r</sup>

## DEDICATORIA.

maximo cum tædio sunt deuoran-  
dæ. Accedunt ad hæc improbissi-  
ma onera, & quasi exactiones quæ-  
dam operarum, quæ cum odio &  
importunitate modò in doctrina,  
modò in disciplina, in totius deni-  
que uitæ cura, imponi & requiri  
à parentibus solent: sic enim per-  
git poeta:

Sed uos fæuas imponite leges,  
Vt præceptoris uerborum regula confitetur:  
Vt legat historias, auctores nouerit omnes,  
Tanquam unguis digitosque fuos: ut fortè rogatus  
Cum petit aut thermas, aut Pauli balnea: dicat  
Nutricem Anchisæ, nomen patriamque nouercæ  
Anchemoli: dicat quot Aceftes uixerit annos.  
Exigite ut mores teneros, ceu pollice ducat,  
Vt si quis cera uultum facit: exigite ut sit  
Et pater ipfius cœtus.

Literarum itaque neglectio, & ho-  
minum ingratitudo, quamuis o-  
mnibus temporibus magna: depraua-  
tis uero pænè intolerabilis extiterit:  
non ideo tamen doctrinam uirtu-  
tēmque

A6<sup>v</sup>

---

EPISTOLA

tēmque uulgi ac turbæ iudicio debe-  
mus contemnere: nec opinionibus  
indoctorum, aut ingratorum mori-  
bus discedere ab officio, aut remitte-  
re impetum bene merendi de pluri-  
mis: primum enim rectè factorum  
conscientia, & functionis honesti-  
tum recordatio, præmium singu-  
lare & pulcerrimum eft: deinde ip-  
fe Deus illos, quibus quasi incuna-  
bula suæ commisit Ecclesiæ, egere  
non patietur: cuius in te nuper ex-  
emplum nobis optatissimum propo-  
fuit. Hæc & contra corrupta mul-  
torum iudicia, pro literis uerè ac li-  
berè: & contra contemptum earum,  
modeftissimè dicta, etiam si aliena  
non nihil ab instituto fuerint, liben-  
ter arripui, apud te ut exponerem,  
tibique simul hos libellos pueriles ex  
Plauti Terentijque scriptis collectos,  
offerrem Matthia Compater, non  
ut rem meritis in me tuis parem, aut  
judicio dignam, sed ut tibi à me diſ-  
cedenti

A7<sup>r</sup>

## DEDICATORIA.

cedenti promissum munusculum.  
Immortales autem Iochimo Came-  
rario uiro & doctrina multiplici, &  
fummis uirtutibus clarissimo, pro  
singulari industria atque eximio stu-  
dio gratias debemus: qui nunc Plau-  
tinus fabulas nuper restituit, tanta  
felicitate, ut unius illius diligentiae  
in emendando plus, quam omnium  
cæterorum laboribus in commen-  
tando tribuendum uideatur. Pla-  
cuit Publij Syri Mimographi uerificu-  
los, cum alis quibusdam in unum  
collectis fententijs, ex Poëtis Latinis  
& quibusdam Græcis, quorum fen-  
tentias M. Tullius, aliquae Latinas fe-  
cerunt, ad finem adjicere, cum uenu-  
ftatis gratia tum breuitatis maxime,  
quæ & puerorum ingenij conueni-  
ens, & accommodata memoriæ est:  
ut autem intelligeretur facilius, Eraf.  
Roterodami Icholia ad Mimos ad-  
didimus: ad reliquas fententias, no-  
stra. idque eam potissimum ob cau-  
fam,

A7<sup>v</sup>

---

EPIST. DEDICAT.

fam, ut auctorum nomina ne retinēcerentur, & ut Publij sententiæ in exemplaribus duobus antiquis à me inuentæ, suo pariter loco inferentur. Quòd si in Scholam tuam hæc recipienda censebis, gaudebo alijs prodeesse hanc operam: fin aliter debitur tibi, de tua sententia iudicium mutabo meum. Deus faciat, ut simus salutaria membra Ecclesiæ, & ad honesta studia colenda & propaganda tranquillitatem Reip. largiatur.

Vale feliciter. Misericordia Her mundorum è ludo illustri, Natalibus Tertijs. Anno Christi,

M. D. LVIII.

Optimo

A8<sup>r</sup>

---

OPTIMO ET DOC-  
TISSIMO VIRO GEORGIO  
FABRICIO LVDI ILLVSTRIS MA  
GISTRO MISENAE, TYPO-  
GRAPHVS,  
S. D.

ACcepi libellū iam tuum,  
id eft, opera ftudij & dili-  
gentiæ tuæ elaboratum,  
partim ut plenior & or-  
nator, partim ut melior  
& emendatior exire posſit in manus  
pueritiæ, à qua iampridem teritur cū  
magna utilitate. Etſi autē hæc parua  
uidentur, cōparantur enim ætati non  
magne, & id quod diuinitus plerunque  
fieri perhibetur, hīc quoque feruatur,  
ut parua concilientur paruis: Tamen  
qui cogitare uoluerit, is reperiet esse  
permagna, non ſpecie illa quidem  
neque mole, ſed effectione atque ui. Id  
quod docet eſſe proprium Ariftote-  
les, initiorum & cauſfarū. Sunt autem  
profectò ftudia pueritiæ fundamenta  
quæ-

A8<sup>v</sup>

---

quædam, non modò eruditionis doctrinæ & artium, sed omnis humanitatis in uita, & prudentiæ in re tam publica, quàm priuata administranda.

De quo si quis dubitat, is respiciat ad ea tempora & loca, quibus neglecta esset institutio liberalis, & disciplinæ custodia, cumque in barbaria aspexerit diuina & humana confusa, & mores feros, & Iuris euerctionem, credat si bique persuaderi finat, ingens malum esse & grauissimam pœnam ab irato Deo inflictam hominum peccatis, Itultitiam & immanitatem, quæ ignorantem bonarum artium semper comitatur. Constituto autem hoc, quòd pueritia literis quasi imbuenda sit ad spem sapientiæ & uirtutis: Nimirum etiam huius operis quasi extuctio requiret curam & attentio nem, ut uera ratione perficiatur. Erūt enim profectò iam he aggressiones & exordia ista caussæ quædam principes, illorum bonorum consequendorum & malorum uitandorum, quæ

paulo

B1<sup>r</sup>

---

EPISTOLA

paulò ante oftendimus. Ago tibi igi= tur, Fabrici, gratias communiter o= nium fcholarum nomine, cùm tu quasi foecundiss. agri fructus, tuam, inquam, tuis discipulis nauatam ope= ram, laboresque proprios illuſtris ludi ueſtri, benigne confers & attribuis alij quoque tam noſratibus quàm ex= ternis, quicunque Muſas, id eſt, eruditio= onem literarum & optimarum arti= um, qui pudorem & honestatem & decus colunt ac ſequuntur. In quo ſæ pe admiror & luſpicio bonitatem na turæ & ingenij tui, qui in huius ſœcu li peruerſitate ſumma, uero tamen iu= dicio ſtatuis, non eſſe humilem neque contemnendam curationem, ftudio= rum & diſciplinæ puerilis & hanc ſententiam conſtantissima uoluntate ſequens tueris, contra rationes pluri= morum, qui hanc ipſam uel plane ni= hili, uel certe parui pendunt. Ac grati as quidem agent tibi mecum omnes, quibus & pietas erga Deum & inter homines ſocietas cordi eſt, præmia

B autem

B1<sup>v</sup>

---

## EPISTOLA.

autem consilijs ac curis his & lucubrationibus tuis, rependet ipse primum Deus, deinde tua uirtus, & aliquorū fortasse etiam memoria. Quod ad me attinet, in libelli istius expressione eā dedimus operam diligentiae & aſſiduitatis. ut hoc confidam me confecutū esse, ne pœniteat tc opinionis de me tuæ, neue illa te fruſtratam esse queri poſis. Sed de hoc aliorum & tua potiſſimum exiftimatio esse debet. Peto autem à tua singulari pietate & uirtute, ut deinceps quoque ſtudij & induſtrie ſimiles fructus, ſimiliter ad quā plurimos peruenire patiaris. In qua parte ſi amplius tibi meā quāl exporationis operam inferuire poſſe, et hac utendum esse putaueris, erit hoc mihi gratiſſimum & lætabor hunc mihi à te honorem habitum esse, & annitar, ut executionis euentus tuæ expectatiōni, uel per omnia, uel faltem magna ex parte respondeat. Vale. Lipſiæ.

III. Calend. Decemb.

Pueris

B2<sup>r</sup>

---

PVERIS STV=

DIOSIS.

IN Plautinis numeris an= notandis fecuti fumus exemplum uiri doctissi= mi loachimi Camerarij, quod excudit Basileæ Heruagius: in Terentianis notrum, quod edidit Argentorati Rihe= lius. Comœdiarum nomina primis tantum literis sunt signata, hoc modo.